

REPOSIANUS

DE CONCUBITU MARTIS ET VENERIS (182 vers)

v.1 Discite securos non umquam credere amores.
 2 Ipsa Venus, cui flamma potens, cui militat ardor,
 3 quae tuto posset custode Cupidine amare,
 4 quae docet et fraudes et amorum furta tuetur,
 5 nec sibi securas valuit praebere latebras.
 6 Improbe dure puer, crudelis crimine matris,
 7 pompam ducis, Amor, nullo satiate triumpho !
 8 Quid conversa Jovis laetaris fulmina semper ?
 9 Ut mage flammantes possis laudare sagittas,
 10 junge, puer, teretes Veneris Martisque catenas :
 11 gestet amans Mavors titulos et vincula portet
 12 captivus, quem bella timent ! Utque ipse veharis,
 13 jam roseis fera colla jugis submittit amator :
 14 post vulnus, post bella potens Gradivus anhelat
 15 in castris modo tiro tuis, semperque timendus
 16 te timet et sequitur qua ducunt vincla marita.
 17 Ite, precor, Musae : dum Mars, dum blanda Cythere
 18 imis ducta trahunt suspiria crebra medullis
 19 dumque intermixti captatur spiritus oris,
 20 carmine doctiloquo Vulcani vincla parate,
 21 quae Martem nectant Veneris nec bracchia laedant
 22 inter delicias roseo prope livida serpto.
 23 Namque ferunt Paphien, Vulcani et Martis amorem,
 24 inter adulterium nec justis jura mariti
 25 indice sub Phoebis captam gessisse catenas.
 26 Illa manu duos nexos tulit, illa mariti
 27 ferrea vincla sui. Quae vis fuit ista doloris ?
 28 An fortem faciebat amor ? Quid, saeve, laboras ?
 29 Cur nodos Veneri Cyclopa flamma paravit ?
 30 De roseis conecte manus, Vulcane, catenis !
 31 Nec tu deinde liges, sed blandus vincla Cupido,
 32 ne palmas duro nodus cum vulnere laedat.
 33 Lucus erat Marti gratus, post vulnera Adonis
 34 pictus amore deae ; si Phoebis lumina desint,
 35 tutus adulterio, dignus quem Cypris amaret,
 36 quem Byblos coleret, dignus quem Gratia servet.
 37 Vilia non illo surgebant gramina luco :
 38 pingunt purpureos candentia lilia flores ;
 39 ornat terra nemus : nunc lotos mitis inumbrat,
 40 nunc laurus, nunc myrtus. Habent sua munera rami ;
 41 namque hic per frondes redolentia mala relucent.
 42 Hic rosa cum violis, hic omnis gratia odorum,
 43 hic inter violas coma mollis laeta hyacinthi :
 44 dignus amore locus, cui tot sint munera rerum.
 45 Non tamen in lucis aurum, non purpura fulget :
 46 flos lectus, flos vincla tori, substramina flores ;

47 deliciis Veneris dives Natura laborat.
 48 Texerat hic liquidos fontes non vilis harundo,
 49 sed qua saeva puer componat tela Cupido.
 50 Hunc solum Paphie puto lucum fecit amori :
 51 hic Martem exspectare solet. Quid Gratia cessat,
 52 quid Charites ? Cur, saeve puer, non lilia nectis ?
 53 Tu lectum consterne rosis, tuserta parato
 54 et roseis crinem nodis subnecte decenter.
 55 Haec modo purpureum decerpens pollice florem,
 56 cum delibato suspiria ducat odore.
 57 Ast tibi blanda manus (flores) sub pectore condat !
 58 Tunc ne purpurei laedat te spina roseti,
 59 dstrictis teneras foliis constringe papillas !
 60 Sic decet in Veneris luco gaudere puellas :
 61 ut tamen illaesos Paphiae servetis amores,
 62 vincula sic mixtis caute constringite ramis,
 63 ne diffusa ferat per frondes lumina Titan.
 64 His igitur lucis Paphie, dum proelia Mavors
 65 horrida, dum populos diro terrore fatigat,
 66 ludebat teneris Bybli permixta puellis.
 67 Nunc varios cantu divom referebat amores
 68 inque modum vocis nunc motus forte decentes
 69 corpore laeta dabat, nunc miscens denique plantas,
 70 nunc alterna movens suspensio pollice crura,
 71 molliter inflexo subnitens poplite sidit.
 72 Saepe comam pulchro collectam flore ligabat
 73 ornans ambrosios divino pectine crines.
 74 Dum ludos sic blanda Venus, dum gaudia miscet
 75 et dum flet, quod sera venit sibi grata voluptas,
 76 et dum suspensio solatia quaerit amori :
 77 ecce furens post bella deus, post proelia victor
 78 victus amore venit. Cur gestas ferrea tela ?
 79 Ne metuat Cypris, comptum decet ire rosetis.
 80 A, quotiens Paphie vultum mentita furentis
 81 lumine converso serum incusavit amantem !
 82 Verbera saepe dolens minitata est dulcia serto
 83 aut, ut forte magis succenso Marte placeret,
 84 amovit teneris suspendens oscula labris
 85 nec totum effundens medio blanditur amore.
 86 Decidit aut posita est devictis lancea palmis
 87 et, dum forte cadit, myrto retinente pependit.
 88 Ensem tolle, puer, galeam tu, Gratia, solve ;
 89 solvite, Bybliades, praeduri pectora Martis :
 90 haec laxet nodos, haec ferrea vincula temptet
 91 loricaeque moras, vos scuta et tela tenete.
 92 Nunc violas tractare decet. Laetare, Cupido,
 93 terribilem divum tuo solo numine victum :
 94 pro telis flores, pro scuto myrtea sarta,
 95 et rosa forte loco est gladii, quem jure tremescunt !
 96 Iverat ad lectum Mavors et pondere duro
 97 floribus incumbens totum turbarat honorem.
 98 Ibat pulchra Venus vix presso pollice cauta,
 99 florea ne teneras violarent spicula plantas,
 100 et nunc innectens, ne rumpant oscula, crinem,
 101 nunc vestes fluitare sinens, vix lassa retentat,
 102 cum nec tota latet nec totum nudat amorem.
 103 Ille inter flores furtivo lumine tectus
 104 spectat hians Venerem totoque ardore tremescit.

105 Incubuit lectis Paphie. Proh sancte Cupido,
 106 quam blandas voces, quae tunc ibi murmura fundunt !
 107 Oscula permixtis quae tunc fixere labellis !
 108 Quam bene consertis haeserunt artubus artus !
 109 Stringebat Paphiae Mavors tunc pectore dextram
 110 et collo innexam ne laedant pondera laevam,
 111 lilia cum roseis supponit candida sertis.
 112 Saepe levi cruris tactu commovit amantem
 113 in flammam, quas diva fovet. Jam languida fessos
 114 forte quies Martis tandem compresserat artus ;
 115 non tamen omnis amor, non omnis pectore cessit
 116 flamma dei : trahit in medio suspiria somno
 117 et venerem totis pulmonibus ardor anhelat.
 118 Ipsa Venus tunc tunc calidis succensa venenis
 119 uritur ardescens, nec somnia parta quieta.
 120 O species quam blanda ! O quam bene presserat artus
 121 nudos forte sopor ! Niveis suffulta lacertis
 122 colla nitent : pectus gemino quasi sidere fulget.
 123 Non omnis resupina jacet, sed corpore flexo
 124 molliter et laterum qua se confinia jungunt.
 125 Martem respiciens deponit lumina somno,
 126 sed gratiosa, decens. Pro lucis forte Cupido
 127 Martis tela gerit ; quae postquam singula (lustrat),
 128 loricam clipeum gladium galeaeque minacis
 129 cristas, flore ligat ; tunc hastae pondera temptat
 130 miraturque suis tantum licuisse sagittis.
 131 Jam medium Phoebus radiis possederat orbem,
 132 jam tumidis calidus spatiis libraverat horas :
 133 flammantes retinebat equos. Proh conscia facti
 134 invida lux ! Veneris qui nunc produntur amores
 135 lumine, Phoebe, tuo ! Stant capti iudice tanto
 136 Mars Amor et Paphie, ramisque inserta tremescunt
 137 lumina, nec crimen possunt te teste negare.
 138 Viderat effusis Gradivum Phoebus habenis
 139 in gremio Paphiae spirantem incendia amoris.
 140 O rerum male tuta fides ! O gaudia et ipsis
 141 vix secunda deis ! Quis non, cum Cypris amaret,
 142 Praeside sub tanto tutum speraret amare ?
 143 Criminis exemplum si jam de numine habemus,
 144 quid speret mortalis amor ? Quae vota ferenda ?
 145 Quod numen poscat, quo sit securus, adulter ?
 146 Cypris amat, nec tuta tamen ; compressit habenas
 147 Phoebus et ad lucos tantummodo lumina vertit
 148 et sic pauca refert : " nunc spargis tela, Cupido ;
 149 nunc nunc, diva Venus, nati devicta sagittis
 150 das mihi solamen ; sub te securus amavi :
 151 fabula, non crimen, nostri dicentur amores."
 152 Haec ait et dictis Vulcanum instigat amaris :
 153 "Dic ubi sit Cytherea decens, secure marite !
 154 Te exspectat lacrimans, tibi castum servat amorem ?
 155 Vel si forte tuae Veneris fera crimina nescis,
 156 quaere simul Martem, cui tu modo tela parasti."
 157 Dixit et infuso radiabat lumine lucum
 158 inque fidem sceleris totos demiserat ignes.
 159 Haeserat Ignipotens stupefactus crimine tanto.
 160 Jam quasi torpescens (vix sufficit ira dolori)
 161 ore fremit maestoque modo gemit ultima pulsans
 162 ilia et indignans suspiria pressa fatigat.

163 Antra furens Aetnaea petit. Vix jusserat, omnes
164 incubuere manus, multum dolor addidit arti.
165 Quam cito cuncta gerunt ars numen flamma maritus
166 ira dolor ! Nam vix causam tunc forte jubendo
167 dixerat, et vindex conjunx jam vincla ferebat.
168 Pervenit ad lucos, non ipsi visus Amori,
169 non Chariti : totas arti mandaverat iras.
170 Vincula tunc manibus suspensio molliter ictu
171 illigat et teneris conectit bracchia palmis.
172 Excutitur somno Mavors et pulchra Cythere.
173 Posset Gradivus validos dirumpere nexus,
174 sed retinebat amor, Veneris ne bracchia laedat,
175 tunc tu sub galea, tunc inter tela latebas,
176 saeve Cupido, timens. Stat Mavors lumine torvo
177 atque indignatur, quod sit deprensus adulter.
178 At Paphie conversa dolet non crimina facti ,
179 sed quae sit vindicta sibi tum singula volvens
180 cogitat et poenam sentit, si Phoebus amaret.
181 Jamque dolos properans decorabat cornua tauri,
182 Passiphaeae crimen mixtique cupidinis iram.